BEDA VENERABILIS. PASSIO THOMAE ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS. VITA CATHARINAE
Österreich, 12. Jh. Seite 12v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift



eorum significat petram cluhit. Est enim iuxta fluuium nominis
sui. Ob harum igitur infestationem gentium brittones legatos ro-
mam cum epistolis mittentes lacrimosis precibus auxilia flagitabant
subiectionemque continuam dum modo hostis imminens longius
arceretur promittebant. Quibus mox legio destinatur armata.
Que ubi in insulam aduecta et congressa est cum hostibus mag-
nam multitudinem eorum sternens ceteros sociorum finibus
expulit eosque interim a dirissima depressione liberatos.
hortata est instruere inter duo maria tantus insulam murum
qui arcendis hostibus posset esse presidio sicque domum cum tri-
umpho magno reuersa est. At insulani murum quem ius-
si fuerant non tam lapidibus quam cespitibus construentes ut
pote nullum tanti operis artificem habentes ad nichil uti-
lem statuunt. Fecerunt autem eum inter duo freta de quibus di-
ximus maris per milia passuum plurima ut ubi aquarum
munitio deerat ibi presidio ualli fines suos ab hostium
irruptione defenderet. Cuius operis ibidem facti eiusdem
ualli latissimi et altissimi usque hodie certissima uesti-
gia cernere licet. Incipit autem ferme milium spacio a mo-
nasterio ebercurnig ad occidentem in loco qui sermone
pictorum peanuahel lingua autem anglorum penmentul ap-
pellatur et tendens contra occidentem terminatur iuxta ur-
bem alcluhit. Uerum priores inimici ut romanum militem
abisse conspexerunt mox aduecti nauibus irrumpunt et